

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich**

Argentorati, 1705

§. 9

urn:nbn:de:bsz:31-105832

§. 9.

Licebit hinc, ut spero, facile judicium ferre de priyatis olim apud Christianos congressibus, quod vel in ædibus priyatis instituti, qui tamen non semper à loco privati dicendi sunt, cum publico præsertim Ecclesiæ Consilio ibidem instituebantur, & hi quidem publicis Ecclesiæ & Ministrorum Constitutionibus alligabantur. Quando vero unusquisque Paterfamilias vel domi suos instruebat, vel postquam Ecclesiæ paullum respirare à persecutionibus datum est, iis in locis instituebantur, quæ vel Monasteria, vel alias plurium collectorum ædes dicebantur, suis tamen quibusdam legibus adstringebantur, quæ nec ab Ecclesiæ institutis abhorrebant, nec publico Ecclesiæ decreto, vel voluntati renitebantur; ejusque erant valoris, ut pro temporum aliarumque circumstantiarum varietate vel saltem mutarentur in melius, vel plane tollerentur.

§. 10.

Cum hæc bono fine & ordine primitus instituta essent salubriter, lapsu temporum cum pax alta Ecclesiæ divinitus est concessa, ut fieri solet, eò tandem incuria hominum rem deveñisse, ut penes Monasteria & Clericos sive sola esset fidelium, vel etiam ipsorum tantum Clericorum institutio, negandum non est; Id enim clamat sæculorum 9, 10, sqq. barbaries, & testatae sunt abundè, quæ secutæ sunt ingentes tenebrae, & Scholasticorum scripta, quibus sibi sapientes, miris speculacionibus res divinas intricabant, adeò, ut tandem penes ipso solos religio stare videretur, & ipsorum decretis, omnis turba rerum sacrarum ignara penitus, tanquam divinis placitis acquiesceret. Quo factum, ut qui Laici dicuntur, vel non possent, vel non auderent de rebus fidei judicium ullum ferre, ne videbantur falcem misisse in alienam messem, ut tandem in Legem quandam evaserit, fas non esse Laicis de rebus fidei, vel disserere, vel judicare, idque contra Christi & Apostolorum monita, quæ sua propria fide justum victurum docent, unumquemque sibi cavere præcipiunt, & serio hortantur, ut paratus sit quivis ad reddendam rationem fidei & spei quæ in ipso est.

B

§. 9.
Locus.

§. 10.
Finis &
Ordo.

Et